...Conclusiones physicae.

# CONCLVSIONES PHYSICÆ,

IN

Alma Vniuersitate Craccuiensi.

A

*MARTINO LESCZYNOWICZ,*
*Artium & Philosophiæ Baccalaureo*

Publico certamini

PROPOSITÆ.

*Præsidente Adm. Rndo & Excellenti Domino,*

D. ALBERTO PAPENKOWICZ,
Collega Maiore, Canonico S. Annæ.
Cursus Philosophici Vladislauiani Professore.

Permissu

*MAGNIFICI DOMINI*

RECTORIS.

Anno recuperatæ per Christum salutis, 1648.
Mense Iulio. Die Hora



QVi KORYBVTHORVM victricia Signa ſtupebas?
Arma hæc, ſed cælis arma petita vide.
Gens inimica Crucis, Crucibus proſtrata quieſcit,
Nam neque Cocytus, præualet hiſce minis.
Stella ergo, tum Luna, Cruces ſuper æthera portant;
Laudibus his terra haud ſufficit; Aſtra petunt.

*ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS,*

# DD. GEORGIO DEMETRIO,

*ET*

# CHRISTOPHORO
## CONSTANTINO
# KORYBVTH
## DVCIBVS,
## In Wiśniowiecz & Zbáráź
## PRINCIPIBVS,
## Iuuentutis Polonæ.

*CVM in Palæstram Philosophicam, post biennalem Cursus Vladislauiani, solo saloq; iactationem, celebri Illustrium frequentiâ, Doctorumq; Virorum Coronâ septam descendo, ad Vestra Illustrissimi Principes magna in Orbe Sarmatico Nomina, supplex accurro, Clemens Patrocinium, quali quali Fortunæ meæ quæsiturus; contra verò vim & incursus aduersantium Fidum Tutamen, ab Ancili Vestro, Crucibus, Lunis, Diuorumq; insignibus, illustri petiturus. Spes enim haud dubia animum mihi facit, Vestram Illustrissimi Principes humanitatem, præsidium petenti non denegaturam, multumq; emolumenti à Vestris Nominibus tenuitati*

*meæ affuturum. Fuit hoc innatum ſemper Principibus Sanguinis Veſtri, Domuiq́ Veſtræ Aboriginibus, vt amarent literas, fouerent & ornarent literatos quorum hæderæ dum ſeſe erigere non poſſent aut ſuſtentare, regalibus opibus, veluti pedamenti adminiculo, fulciuerunt, tenuerunt, & ad ſumma prouexerunt. Auxit hos Spiritus in Vobis Illuſtriſſimi Principes, Alma Mater, quæ Vos ad omnem humanitatem, & Polonæ Reipub. magnum olim incrementum literis & pietate lactauit, educauit, confirmauit; vt quam Patriæ labenti, difficillimo hoc tempore, extremis in finibus, contra Lunas Othomanicas, Seruoſq́ rebelles, in Illuſtriſſimo Patruo Veſtro, Viro bellica virtute nemini conferendo, tutelam præſtatis, eandem Clientibus Vobis addictis, ne denegetis. Et hæc quidem Scriptioni meæ dum Vos Illuſtriſſimi Principes reſpicio, cauſa fuit: dum me, voti damnatum eſſe gaudeo. Quippe non aliâ ad aram votiua hæc tabella mea quàm in Veſtris penetralibus appendenda erat: Fontem enim vnde flumina profluxerunt coronandum eſſe didici. At hæc ſi quæ in me eſt Philoſophiæ Cognitio, non aliunde quàm per manus Veſtras in me meoſq́ omnes Commilitones deſluxit. Phœnix non iam Achillis ſed Veſter, dum formandæ teneriori ætati Veſtræ priuatim incumbit, hęc Philoſophiæ fluenta in Academia noſtra in agros noſtros diduxit, profudit, inundauit. Cuius præclarâ in me diligentemq́ operam atq́ voluntatem toto biennio cùm cognouerim, quem ex illo, hauſi fructum, non alteri quam Vobis Illuſtr: Principes deferre debui. Patiamini Illuſtriſſimi Principes hanc exiguam mole, animo prægrandem in Vos profectam teſtificationem, ea tempeſtate in conſpectum Veſtrum venire, qua Serenitatem diſpenſare ſoletis, Academiam Matrē, eiuſq́ ingenia, bono publico nata, vt ſoletis, benigno fauore proſequamini. Datum è Muſæo meo Anno Salutis Incarnatæ, 1648.*

VV. Celſitudinum

Voto & obſequio
promptiſſimus Seruus

*M. Leſczynowic, Art: & Philoſophiæ Baccalau.*

# CONCLVSIONES EX LIBRIS
## *De Physico Auditu.*

## I.

PHILOSOPHIA Naturalis, in communi spectata vniuocè diuiditur, in Physicam Mathematicam & Metaphysicam.

2. Physica est verè & propriè scientia speculatiua, cuilibet homini ab Intrinseco necessaria, secundùm speciem atomam vna, quæ principia, causas, & passiones Entis Mobilis, tanquam sui adæquati & formalis obiecti considerat.

3. In illa tradenda optimè Philosophus, ab vniuersalibus ad minus vniuersalia processit, atque in alijs scientijs procedendi Modum reliquit.

## *Principia Entis Mobilis.*

4. ENtis Mobilis Principia dicuntur, quæ neque sunt ex alijs, neque ex alter vtris, sed omnia fiunt ex ipsis, quæ non vtcunque principia, sed prima vocantur.

5. Principia Entis Mobilis in fieri, per se & intrinsecè sunt tria, nempè Materia, Forma, & Priuatio, ex quibus Forma & Priuatio sunt sibi contraria, ad esse autem Entis Mobilis in facto, duo tantùm concurrunt, Materia & Forma.

6. Materia Prima rectè definitur, tum 1. Physicorum textu 81. sic. Est primum subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cùm insit, per se, & si corrumpatur aliquid in hoc abit vltimum: tum 7. Metaphysicæ textu 3. Materia nec est quid, nec quantum, nec aliud quidpiam.

7. Materia Prima ex se non solùm vt respicit formam, sed etiam vt est pars Entis Mobilis, essentialiter est pura potentia, omnem actum etiam Entitatiuum excludens.

8. Materia Prima appetit formam, appetitu naturali, nec habet ampliùs eum ad formam semel amissam.

9. Etiam supernaturaliter Materia non potest existere sine forma substantiali.

10. Materia est pars vera essentiæ compositi naturalis,

11. Materia Prima per se est ingenerabilis, & incorruptibilis, quæ quoniam accepit esse suum per creationem, idcircò non nisi etiam desinere debet per annihilationem agentis supernaturalis.

12. Materia Prima est vna numero in omnibus compositis, quæ generantur & intereunt.

13. Forma Substantialis necessariò datur intrinsecè compositi Physici constitutiua, diciturque substantia Incompleta.

14. Omnes Formæ Naturales Substantiales educuntur de potentia passiua naturali Materiæ, excepta anima rationali.

15. Impossibile est eandem numero materiam simul à pluribus formis substantialibus informari.

16. Non solùm Forma Essentialis, sed etiam Materia, est pars intrinseca quidditatis rei naturalis seu Compositi.

17. Priuatio est Principium per se entis Mobilis in fieri.

18. Priuatio secundùm se spectata à materia ratione distinguitur, attamen comparata ad puras negationes, est res quædam.

19. Priuatio Materiæ per negationem omnium formarum appre-

apprehensæ ex ordine ad formas est vna genere, materiæ tamen sub formis constitutæ est vna specie.

20. Natura rectè hic à Philosopho definitur sic: Est principium & causa motus, & quietis, eius in quo est, primò & per se, & non secundum accidens: quæ Analogicè de forma dicitur, conuenit enim secundariò materiæ, formæ autem omni substantiali partis principaliter.

21. Ens naturale à suis partibus maiore distinctione quàm rationis distinguitur.

22. Ars & natura tanquam sibi æmulæ, etiamsi habeant quandam conuenientiam quoad effectus, tamen suis proprijs attributis simpliciter distinguuntur, & quamuis ars imitetur naturam, tamen opera naturæ nullo modo producere potest. Inde patet artem conficiendi auri nulla ratione subsistere posse, perniciem potiùs quàm commodum hominibus adferre, iuxta illud: Alchimiæ fornaces sunt aucupium crumenarum.

## *Causæ Entis Mobilis.*

23. Causa Physica est id ad cuius esse sequitur aliud, distinguiturque à principio secundum rationem formalem, quatenus causa addit super rationem principij prioritatem, dependentiam, & distinctionem realem ab effectu.

24. Causæ per se sunt tantùm quatuor: Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis; quarum duæ priores Intrinsecæ, Posteriores verò Extrinsecæ dicuntur: ad quas aliæ Diuisiones causarum reuocantur. Quæ Causarum Diuisio adæquata quidem est, sed non immediata, neque est generis vniuoci in suas species atomas, sed Analogi in sua Analogata.

25. Causæ comparatæ quoad perfectionem, tunc Extrinsecæ perfectiores sunt Intrinsecis, ex quibus forma prior est materiâ, comparatæ verò quoad existentiam, tunc Causa Efficiens prior est cæteris, Finis Causalitate omnes præcedit.

26. Tota

26. Tota & adæquata Causalitas Materiæ, per suam nudam entitatem causantis, consistit in concursu ad productionem formæ, si illa sit materialis in receptione ac limitatione eiusdem, tandem in constitutione compositi. Et licet causalitas materiæ, respectu formæ, & causalitas eiusdem respectu compositi sint distinctæ ratione ratiocinata, constituit tamen vnam, & eandem causam Materialem.

27. Adæquata Causalitas Formæ consistit in informatione materiæ, & constitutione compositi terminata ad esse.

28. Causa Idæalis propriè & per se continetur sub Causa Formali non extrinseca, nil tamen vetat eandem aliquo modo reduci ad Efficientem.

29. Causæ Efficientis à qua primò incipit motus actio causat vt Quo, & formaliter consistit in hoc quod est efficere, & dare esse effectiuè rei.

30. Forma Substantialis, quæ est Causæ efficientis principium principale operandi, in productione substantiæ habet se vt causa principalis efficiens mediata, Accidens verò ceu causa proxima & immediata.

31. Formæ Accidentales tanquam Causæ principales possunt producere accidentia sibi similia, substantiam verò virtute substantiæ, tanquam eius instrumenta.

32. De ratione Causæ Instrumentalis est, vt non agat neque moueat, nisi mota à causa principali, proinde ipsi competit habere propriam aliquam actionem præuiam & dispositiuam ad producendum effectum.

33. Causa Prima non solùm immediatione virtutis, sed etiam suppositi, concurrit cum causis secundis, easque ad suos actus præmouet.

34. Finis cuius gratia aliquid fit, tribuit medijs bonitatem, & Agentem Metaphoricè mouet.

35. Bonitas Finis est ratio formalis, per quam finis constituitur in actu finalisandi primo.

36. Præter

36. Præter Causas per se quatuor, dantur Causæ per accidens, nimirum Fortuna & Casus spectantes ad Causam Efficientem.

37. Fatum quatenus denotat connexionem causarum, ad effectus producendos dispositam & ordinatam in mente Diuina, libenter admittimus: illud verò quod denotat vim stellarum & Planetarum constitutionem independenter insitam, vti contrariam diuinæ prouidentiæ, & menti humanæ, reprobamus.

## *Paßiones Entis Mobilis.*

38. INter Entis Mobilis Passiones primum locum tenet motus, qui est Actus entis in potentia, quatenus in potentia. Quæ definitio non solùm se extendit ad mutationes successiuas, verùm etiam instantaneas.

39. Motus cuius subiectum est ipsum mobile, versatur inter duos terminos A Quo, & Ad Quem, à quorum primo tanquam res à re, ab altero autem realiter formaliter distinguitur; idem est tenendum de Actione & Passione, ad quas motus habet se materialiter.

40. Actio Transiens formaliter à motu & passione subiectatur in passo, Immanens verò in ipsomet agente.

31. Motus à Philosopho definitus diuiditur in Generationem, Corruptionem, Augmentationem, Diminutionem, Alterationem, & Lationem: qui motus specificantur ex termino ad Quem.

42. Ex istis, Accretio, Alteratio, & Latio, sunt motus continui.

43. Infinitum in potentia dari omnes asserunt, an verò actu detur certant Doctores, tamen probabiliùs videtur, illud neque per absolutam Dei potentiam dari posse.

44. Locus est vltima superficies corporis continentis immobilis; superficies Physicè sumpta, connotat virtutem conseruatiuam, immobilitas autem, loco formaliter accepto competit: Locus aut est Circumscriptiuus, aut Definitiuus: iste Creatæ substantiæ immateriali, ille verò materiali proprius.

45. Non potest fieri per naturam, vt duo corpora sint simul in eodem loco, attamen per absolutam & supernaturalem Dei potentiam fieri non repugnat.

46. Impossibile est idem numero corpus simul existere in pluribus locis per Dei potentiam.

47. Vacuum est locus non repletus corpore, aptus tamen repleri. Vacuũ naturaliter non dari, ita Aristoteles demonstrauit sufficienter, vt opposita doctrina non tam cum Aristotele, quàm cum symphonia vniuersi, pugnare videatur.

48. Tempus cùm sit numerus motus, secundum priùs & posteriùs, entis realis ambitu clauditur, estque per intrinseca entia diuisibile.

49. Præter tempus dantur aliæ durationes, videlicet, Æternitas, & Æuum. Tempus est Mensura rerum, quæ habent principium & finem. Æternitas autem rerum, quæ principio & fine carent: Æuum demum rerum, quæ solo carent fine, non autem principio.

50. Illo principio Lib: 7. Physicorum ab Aristotele allato. Omne quod mouetur, necesse est ab alio moueri; optimè ducimur à posteriori in cognitionem primi mouentis, immobilitatem, æternitatem, necessariam simplicitatem, infinitatem, immensitatem, intellectionem, volitionem, perfectionem eius contemplantes.

Ex Li-

# EX LIBRIS
## *De Cælo & Mundo.*

51. MVndus eſt vniuerſum, vt eſt ens Mobile ad Vbi, dicitur compages è cælo terraque coagmentata, à prima cauſa propter ſeipſam effecta.

52. Mundus non ab æterno, ſed in tempore incæpit, poterat tamen per abſolutam Dei potentiam produci, eſtque vnus vnitate ordinis connaturalis, & perfectionis in ſuo genere.

53. Cælum eſt illius pars diſtincta, & nobilior quatuor elementis & alijs inferioribus, in ratione corporeitatis.

54. Cælum etſi conſtet Materiâ & Formâ, tamen materia cæli diuerſæ rationis à materia ſublunarium; corpora inuicem cæleſtia, tam ex Materia quâm ex Formá ſpecificè diſtinguuntur.

55. Cælum impropriè, videlicet ob aſſiſtentem Intelligentiam animatum dici poteſt.

56. Motus circularis, vnicuique orbi cæleſti proprius eſt verè naturalis, motus verò raptus, quo cæli à motu primi Mobilis rapiuntur, licet ſit præter naturam inferioribus orbibus, non eſt tamen contra naturam, neque violentus.

57. Cæli quod moueantur ab Intelligentia aſſiſtente, hoc illorum motus naturalitati non præiudicat.

58. Cælum cum ſtellis agit in corpora ſublunaria, directè & per ſe, lumine, motu, & influentijs.

59. Ceſſante Motu cæli ceſſarent omnes actiones materiales in inferioribus.

60. Cælos neque eſſe coloratos, neque graues aut leues, neque alterabiles cum Philoſopho tenemus.

# EX LIBRIS
## *De Ortu & Interitu.*

61. ENs mobile ad Formam Intrinſecam, ſeu prout eſt generabile & corruptibile, importat principaliter generationem ſubſtantialem Phyſicam.

62. Corruptio concomitanter ſe habet ad generationem.

63. In corruptione ſubſtantiali, fit reſolutio ad ipſam materiam, ideò accidens nullum quod erat in corrupto, relinquitur in genito.

64. Alteratio eſt Motus contrarius ad qualitatem ſenſibilem, cuius intenſio non fit per additionem nouæ qualitatis ad priorem qualitatem, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto.

65. Rarefactio fit per introductionem aliquorum corpuſculorum, in partes corporis rarefacti, condenſatio verò per expulſionem eorundem ex poris corporis condenſati.

66. Augmentatio non eſt collectio multorum motuum: differt tamen à generatione, alteratione, & alijs motibus, & quamuis ſemper habeat ſibi annexam nutritionem, tamen augmentatio & nutritio differunt realiter.

67. Viuentium tam perfecta, quàm imperfecta, toto tempore accretionis manent eadem numero, ſecundum formam, & augentur ſecundum omnes partes, habentque certos tam magnitudinis quàm paruitatis terminos.

68. Elementa ſunt quatuor: Ignis, Aer, Aqua, & Terra, quæ virtualiter manent in mixto, licet mixtio dicatur miſcibilium alteratorum vnio, vltra formas ſubſtantiales proprietatibus diſtinguuntur, nempè: calido, frigido, humido, & ſicco, ad quas conſequitur leuitas, grauitas, raritas, denſitas.

69. Ele-

69. Elementa alia ſunt Symbola : vt Ignis, & Aer in calore, Aer & Aqua in humiditate : Aqua & Terra in frigiditate : Terra & Ignis in ſiccitate. Alia ſunt Diſſymbola : vt Ignis & Aqua, Aer & Terra.

70. Ignis Elementaris datur ſupra Aerem, ſummè calidus & ſiccus, Aer tenet locum infra ignem, eſtque humidus, & Aqua infra aerem, eſt frigida & humida. Terra demum infra Aquam eſt ſita, eſt & ſicca & frigida, & reſpectu Mundi verè punctum Phyſicum vocatur.

# EX LIBRIS
## *De Meteoris.*

71. CORpus Meteorologicum dicitur Ens Mobile ſimplex, vt eſt in via ad mixtionem corporum, tam imperfectorum, vt ſunt nix, grando : quàm perfectorum, vt ſunt metalla, lapides.

72. Materiâ Meteororum, alia eſt Remota, vt corpora vaporabilia, nempè Terra & Aqua : alia Proxima, vt vapor & exhalatio.

73. Meteorologicæ impreſſiones aliæ ſunt Ignitæ, vt Cometa : aliæ Lucidæ, vt Parelij, Iris : aliæ Humidæ, vt imber : aliæ ſiccæ, vt venti.

74. Ex impreſſionibus Ignitis Cometa inſtar ſtellæ apparens, habenſque naturam elementalem, in ſuprema àëris regione gignitur, fulgur autem & fulmen in media, Ignis demum fatuus, Caſtor, Pollux, & Helena in infima àëris regione producuntur.

75. Impreſſiones lucidæ ab impreſſionibus Ignitis differunt, quarum ex varietate colorum, qui in àëre cernuntur, & figuris,

quibus tùm àër, tùm halitus in áëre euectus efformantur, solent in sublimi diuersæ rerum species apparere, vt vorago, hiatus & cohortes turmatæ: circa verò Solem & Lunam apparent, Corona, Virgæ, Parelia, & Paraselina; Ad impressiones lucidas spectat Iris, galaxia autem potiùs octauæ Sphæræ pars lucidior, quàm impressio Meteorologica dicitur.

76. Impressiones humidæ, quædam generantur in Media áëris regione, vt pluuia, nix, & grando. Quædam in Infima, vt nubecula, granedula, glacies, ros & pruina, ad quam regionem salsedo maris eiusque fluxus, tùm fontium & fluminum origo spectat.

77. Impressiones Siccæ, nempè Terræ Motus, venti, à terra causantur, huc quoque spectant procellæ & turbines.

78. Forma Mixti perfecti est diuersa à formis elementorum.

79. Metalla, corpora dura, in terræ visceribus nata, habent pro materia vaporem aqueum terrestrem admixtum, iuxta Aristotelem: Species Metallorum à proprietatibus suis differunt.

80. Lapides necessariò per suas communes causas existunt. Illa autem quæ sunt media inter Metalla & lapides, Mineralia appellantur.

---

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Francisci Cæsarij, S. R. M. Typographi.

Sub Felicibus Auſpiciis

*Perilluſtris, Magnifici, & Admodum Rndi Domini*

# PAVLI HERCII,

S. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

Eccleſiæ Cathedralis Cracouień.

CANONICI,

Decani Opatouień.

Almæ Vniuerſitatis Crac. Studij

GENERALIS RECTORIS

Vigilantiſſimi.

